



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXXXII. De Morte fratris Ernekonis Comendatoris de Raganita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneko de Querfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia.

venerabilis & universo mundo admirabilia, adeo electa & praelata nec te potentia sua visibiliter illustraret & in te liberationis nostra sacramenta ministrando genus humanum redimeret posita est, desolata & more consumpta. Fatus est Dominus inimicus, precipitavit omnia marina tua, dissipavit munitiones tuas, dissipavit quasi ortum, tentorium tuum, demolitus est tabernaculum tuum, oblivioni tradidit festivitates & sabbatum in opprobrium, in indignatione furoris Regem & Sacerdotes. Omnes persecutores tui apprehenderunt te inter angustias, plorans ergo plorasti in nocte & lacrymae in maxillis tuis, nec est qui consoletur te ex omnibus caris tuis.

Exhortatio terrae S. ad Christianos pro liberatione sua.

*A*udite, obsecro universi populi Christiani & videte dolorem desolationis meæ recordamini quid acciderit mihi, intuemini & respicite opprobrium meum, apprehendite arma & scutum & exsurgite in adiutorium mihi, effundite flameam & concludite adversus eos, qui me persequuntur, eripite me pauperem & desolatum & de peccatorum manibus liberate.

CAP. CCXXXII.

De

Morte fratris Ernekonis Comendatoris de Raganita.

Eodem anno circa ascensionem Domini Fr. (a) Erneko Comendator de Raganita, ad mandatum Magistri, profectus est navigio versus Lethoviam volens aliquas novitates experiri, & erant cum eo frater Johannes de Wienna & XXV. armigeri. Hic cum transiret castrum (b) Colaynum praedictum, Surminus Castellanus ibidem vocatis ad se Castrensis, tractavit cum eis, quomodo posset fratres decipere, & præpositis multis deceptionis modis, tandem omnium in hoc resedit consilium, ut unus ex eis, qui lingvam sciret Polonicam, indutus vestibus mulieribus staret ad littus Memelæ, dum transirent, & rogaret, ut eum ad navem

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.**Meneko de Querfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia*

navem assumerent, & à captivitate infidelium liberarent; Unde quidam Lethovinus, Nodam nomine, vir in armis strenuus, qui tamen postea conversus ad fidem Christi in ea feliciter obdormivit, assumptis sibi LX. viris ad dictum negotium peragen-dum, veniens ad locum aptum, ordinavit, quod ille vestitus ve-ste muliebri sedet in littore, alii latitabant in vicino. Non longè post Commendator, peracto negotio suo, dum appropinquaret, ille miser traditor cœpit voce flebili clamare & petere, ut eum ad navem sumerent, & animam suam Christi sanguine redemptam à servitute Diaboli liberarent. Quo audito dictus frater Erneko misertus sui accessit ad littus, statim ille rapiens navem firmiter tenuit, & vocatis sociis suis irruerunt in eos, & omnes occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Strykovski legit Ermelio.

(b) Colainum prima erat Lithuaniae arx ad Nemenum versus Prussiam. Kojalovvicz loc. cit. pag. 193. Nicolaus Jeroschinus castrum hoc modo Kalayn/ modo Colayn appellat. Hoc Colaynum antea à Cruciferis destructum, à Surmino est instauratum.

CAPUT CCXXXIII.

De

Occisione XXV. Lethowinorum per
fratres de Raganita.

Ex hoc eventu Lethovini magnam audaciam sumpserunt, sic quod in die nativitatis B. Joannis Baptista proximo sequenti de confinio castri Onkaim XXXVI. viri egredientes ausi fuerunt contra fratres de Raganita sua latrocinia exercere; qui dum appropinquarent mittentes sortem secundum ritum eorum compertum fuit, quod eis prospere succedere non deberet. Unde statim

Rr 3

